



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 13. An & quomodo restituenda est fama?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

*modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.*

**Q. 13.** *An, & quomodo restituenda est fama?*

*Resp. I.* Est obligatio justitiae ex genere suo gravis restituendi famam injustè lœsam, sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine justa causa verum, sed occultum defectum, vel crimen. *Ita omnes.* quia tunc illata est vera *injuria*, *damnosa*, quæ proinde tolli, ac resarciri debet: *jus enim quod quisque habet ad famam, auferri ob crimen etiam verum sed occultum & jam nemini nocitum nequit nisi per auctoritatem publicam.* Adde quod bonum commune exigat, ut defectus, vel crimina occulta non detegantur sine necessitate aliqua: alias lœderetur *pax*, ac tranquilitas publica, & tolleretur maximum frumentum vitandi postea alia crimina, quod est famæ bonæ conservatio, & quo sublato in desperationem, & quodvis flagitium facile ruit humana fragilitas.

*Resp. II.* Fama injustè ablata restitui debet integrè apud eos omnes apud quos ablata fuit: nam *Justitia* exigit, ut *damnum* injustè illatum resarciantur integrè, & fiat restitutio ad æqualitatem; alioqui *injustitia* non tolleretur totaliter, & remaneret inæqualitas. *Hinc qui publicè infamavit, tenetur famam publicè restituere.*

*Resp. III.* Qui alium infamavit, falsum crimen

men imponendo, *ex communi*, tenetur illud efficaciter revocare, & adhibere omnem moralē diligentiam, ut falsa illa opinio ex animis hominum evellatur. Unde tenetur Auditoribus apertè significare voce, vel scripto, sinecēsse sit, se falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, si opus sit, adhibito etiam Juramento, & testibus, si aliter non putentur credituri, quamvis idcirco ipse sit infamandus: quia tenetur efficaciter resarcire iniuriam illatam, ac proinde adhibere media ad id necessaria; & suæ culpæ imputare debet, quod sibi imposuerit tale onus.

Qui autem verum alterius crimen, vel defectum injustè revelavit, non debet dicere se falsum dixisse; quia mentiretur, quod nunquam licet: neque enim sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed debet apud rudes dicere se perperam locutum fuisse, talem injustè infamâsse, ei iniuriam intulisse: apud peritos verò qui ex ejusmodi locutione magis confirmarentur in opinione admissi crimini, debet (quantum fieri potest, sine mendacio) infamatum laudare in aliis virtutibus apud eos, coram quibus detraxit, ut quantum in una virtute amisit opinionis bonæ, tantum in aliis acquirat, & sic fiat quædam compensatio; item eum honorare, vel quo vis alio modo ingenerare bonam opinionem de eo.

Sed qui libro famoso alterum injustè infamavit, tenetur restituere famam contrariis scriptis,

scriptis, vel publica revocatione: alioqui restitutio non esset efficax, & proportionata damno.

*Resp. IV.* Qui falsum, vel verum crimen alterius iniuste revelavit, tenetur ex Justitia reparare famam non solum apud eos omnes, apud quos eam abstulit, sed etiam apud alios omnes, quibus hi postea idem retulerunt, saltem in eorum defectum, si prævidit, vel prævidere potuit eos apud quos detraxit, rem propagaturos. *Est communis.* quia tunc detractor fuit causa iniusta ulterioris infamiæ secutæ ex illius iniuria, & voluntariæ in illa. Quare ab immediatis auditoribus querere tenetur, an idem aliis retulerint. Imò etiamsi probabilius putasset auditores immediatos audita non relatueros esse aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum: quia tunc adhuc dedit iniuste occasionem illi ulteriori infamiæ: nam homines etiam alias prudentes facile datâ occasione, ex inconsideratione vel aliter audita narrant. *Qui autem occasionem damni dat, damnum videtur dedisse.* Cap. ult. de iniur.

**Q. 14.** *An qui crimen falsum alteri imponit, vel verum sed occultum iniuste detegit, tenetur omnia alia damna, sive in corpore sive in aliis bonis inde secutare resarcire?*

*Resp. Aff. Est communis, & certa. prob. I. ex cap. ult. de injur. ubi Greg. XIII. ait: Sic culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super*